

arrogaret aliquid in nomine meo praedicere, quod illi uaticinari non mandauit, et qui in nomine Numinum aliorum uaticinatur, ille uates morietur. Si uero dixeris in corde tuo quomodo notum est illud uerbum, quod ei non mandauit Iebouah? quod praedicet ille uates in nomine Iebouae, et non fuerit uerbum, nec hoc uaticinium euenerit, non est uerbum, quod Iebouah illi praecepit, sed ex arrogantia uaticinatus est propheta, non timebis eum. Quod mandatum diuinum RASCHIVS n) in commentario in Pentateuchum ad ueterum mentem satis apte expouit: אני אמר כבר נצטוו שאם בא להדיחך מאחת מכל המצות לא תשמע לו אלא אם כן מומחה הוא לך שהוא צדיק גמור כגון אליהו בהר הכרמל שהקריב בבמה בשעת איסור הבמות כדי לגרור את ישראל הכל לפי צורך שעה וכיוג הפריצה לכך Ego dico: iam in praeceptis habetur, si quis uenerit, ut te ad defectionem ab aliquo praeceptorum impellat, non audies eum, nisi scilicet ille tibi spectatissimus et perfectus iustus sit, sicut Elias in monte Carmel, qui obtulit in excelsis, in tempore, quo excelsa uetita erant, ut necessitate temporis ductus, uniuersum populum Israeliticum tueretur, et rupturas sepiret, propterea dictum est: illum audietis. Iam pridem concessit in hanc sententiam nostram, quod PROPHETA FALSVS a Senatu Hebraeorum summo et propter uaticinia et dogmata sua examinandus et damnandus sit, omnis eruditorum uirorum academia, e quibus duo potissimum eligemus, qui ueritatem sententiae nostrae suo suffragio ornent et illustrent. Alter est celeberrimus ille Anglicanus Theologus EDWARDVS STILLINGFLEET o) qui de examine prophetico ita iudicat: *It is the generally*

*recei-*

n) confer. IOHANNIS BVXTORFII Biblia Ebraea, Basileae 1620. edita, p. 210. Col. I. sub finem.

o) in originibus sacris uel in the Rational Account of the Grounds of Christian Faith,